

THESES  
PHILOLOGICI ARGUMENTI,

QUAS,

CONSENSU AMPL. FAC. PHILOSOPH. ABOËNS.  
STIPENDIARIOS EXERCENDI GRATIA,

EDIDIT

MAG. JOH. HENR. FATTENBORG,  
*Litterat. Orient. Prof. P. & O.*

RESPONDENTE

STENONE EDVARDO SÆOMAN,  
*Borea-Fennone.*

In Auditorio Philosophico die VIII Febr. MDCCXXIII.

horis a. m. solitis ventilandas.

---

A BOË,  
ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



*Th. I.*

**C**um multæ magnæque sint difficultates, quæ in Græcorum Romanorumque monumentis explicandis diligentि sese objiciant interpreti, tum vel graviora ac multo plura illum premunt incommoda, qui ad Libros Veteris Testamenti interpretandos animum applicare sibi proposuerit.

*Th. II.*

Quamquam enim, ut veterum Hebræorum, ita etiam Helladis Latique linguae ab multis inde saeculis emortuæ sunt, longe tamen plura ad has, quam ad illam discendas habemus adjumenta; Neque solum dialecti Hebraicæ structura multo longius, quam Græci Latinique sermonis conformatio, a nostrarum, quibus hodie utimur Occidentales, linguarum consuetudine recesit, sed ipsa etiam rerum species animo comprehendendi mentisque sensa signis, i. e. verbis, exprimendi ratio, Hebræis, utpote Orientalibus, usitata, a nostra sentiendi & enarrandi modo moreque tam aliena est, ut, quicquid in litteris liberalibusve artibus, aut divina Græcorum invenerunt ingenia & exornarunt, aut dociles sequacesque Romanorum mentes ex illis arreptum propagarunt, si vel id omne, & quicquid his propior, imo nostra, ætas in iisdem rebus præstare valuit, qui explicandis Hebræorum libris operam dare velit, percursum ac decantatum habeat, haud multum tamen in hoc negotio sit profecturus, nisi novo eoque indefeso studio Orientalium doctrinarum sibi aperuerit thesauros, quibus non solum accuratiorem linguae Hebraicæ cognitionem sibi acquirere, verum etiam, quod æque necessarium est, ipsum ingenium, quo calidiori sub cœlo ornati, spiritumque, quo inflammati aetique ad scribendum accesserunt Vates Sapientes.

tesque Hebræorum, ita imbuere valeat, ut qua ratione illi res viderint senserintque & cogitaverint, in eandem etiam fidus illorum Interpres totus penetret suamque in illa mentem collocet.

### Th. III.

Quod cum difficillimum sit opus, haud pauci, laboris impatientiores, a Litterarum Hebraicarum studio facile deterri posunt: alii autem, ne probabilem ignorantiae non inventant excusationem, operam oleumque sese perdere metunt clamantque, si quantum opus est, tantum temporis difficillimæ discendæ insument rei, quæ tamen in vitæ negotiis exsequendis, aut nullam, aut peregrinam præbere valeat utilitatem. Non tanti æstimanda est, inquit hi, in servitute educatæ, qualis Hebræa fuit, tum pedo campos pererrantis, tum alienæ dominationi subjacentis, & si cum aliis cultioribus antiquitatis comparetur nationibus, fere ruditæ & indoctæ gentis sapientia, ut antelucanis digna sit lucubrationibus: jamjam, & quidem jure, exhibilata est illa sententia, quæ non solum ipsas res, verum etiam singula verba, informatione divina, in Mosis & Prophetarum mentes oraque esse infusa, statuit: quod, ut de cœlo delapsum priores, tum docti, tum indocti, pia mente crediderunt homines, id omne sagacior nostra & ingeniosior ætas, aut e causis rerum naturalibus, aut e rudi veterum impolitorum gentium sentiendi ac loquendi ratione, nunc demum dilucidius, ac olim, explanata, exirxit, enucleavit & oculis, tum mentis, tum corporis, subjecit: suis sibi propriis sancta, quam veneramur, stat Religio argumentis, nec ulla, ut vocari solent, dicta classica e Veteris Testamenti codice hodie ullus emunctioris naris extorquet Theologus,

### Th. IV.

Talibus quidem & permultis forsitan aliis ejusdem farinæ argumentis Studii Hebraici utilitas nonnunquam impugnari solet. At causam illius agere haud difficile est opus; quippe quoniam sua se virtute optime ipsa tuetur, e proprio sinu splendida prodensque arma, quibus adversariorum tela

tela retundere, dignitatemque suam & præstantiam masculine defendere valet. Nam si omnia canæ antiquitatis monumenta in universum veneranda sint, & si tanto magis æstimari debent, quanto proprius ad ipsa generis humani primordia retrocedant, nulla certe Libris Hebræorum pretiosiora unquam reperta sunt documenta. Vetustate nonnulla illorum, longe, uti credere fas est, Græcorum Romanorumque scripta præcedunt, & naturalis stili simplicitas infucatusque color, ut ætati fidem facit, ita etiam veritatis opinionem illis conciliat. Quod autem ad ipsas res, quas Libri continent Hebræorum attinet, primum hoc loco reticendum non est, in atra illa nocte, qua antiquissimorum premitur historia sæculorum, ubi nihil omnino nobis traditum reliquerunt aut Græci, aut Romani, & de quibus nec Indi Orientales, ut videtur, quicquam sciunt, scintillulas quasdam, rudi Hebræa manu excusas, nos solas ducere, & licet rarae sint, tantum tamen lucis spargunt, ut ipsam viam, quam ingressi & secuti sunt primi homines, a feritate ad cultiorem vitæ statum tendentes, illarum ope investigare queamus. Quæ autem natio est, aut unquam fuit, qui populus repertus, qui tam completam, usque a primis gentis initiosis, usque ad illa tempora, quibus in universum clarior effulgere coepit historiæ lux, tam continuam suarum rerum ostendere possit enarrationem, ac illa sit, quam in suis libris consignatam habent Abrahami posteri? Deinde, quoniam in rebus claris & notissimis longiores fuisse non decet, digito tantum monstrasse sufficiet, de origine mundi terræque & de causis bonorum malorumque disputationes, leges a Moysi conditas, carminum, vaticiniorum oraculorumque multitudinem, varietatem ac præstantiam, quemadmodum etiam gnomarum, ænigmatum & acute sapienterque dictorum, quibus mores hominum ad honestatem conformari possunt, copiam & pulcritudinem; quibus ex omnibus rebus id efficitur, ut non solum Historicis, verum etiam Philosophis, legum Conditoribus, civitatum Rectoribus, Poëtis Oratoribusque permulta lectu scituque dignissima in se contineant sacra Hebræorum volumina.